



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput XI. Qualiter Conscientiam scrutatus fuerit? Modus indormiendi,  
noctemque traducenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

Profanationes Templorum. Cœnobiorum  
 everfiones. Innocentium cruentæ laniæ.  
 Pauperum fpoliationes. Infortunia fua & pe-  
 ricula amicorum vel notorum, qualiter fingulis  
 Providentia Divina ereptrix præfto fuerit.

C A P U T XI.

Qualiter Confcientiam fuam fcruta-  
 tatus fuerit. Modus indormiendi  
 noctemque traducendi.



Deo rigidus arbiter fuæ fuit  
 confcientiæ, ut nè hilum quod per-  
 fpicaciter adverterat, fuo in animo  
 hære pateretur. Quàm verò ri-  
 gidè angulos omnes fcrutari, omniæque fuæ in  
 examine rimari affueverit, indè collige. Reco-  
 lebat primò num quidpiam in *corporis* fufenta-  
 tione, molle, delicatum & ftrictæ neceffitatis re-  
 gulam transgrediens admisiffet. In *motu* au-  
 tem, an procuraverit gratiam finè mollitiæ,  
 quietem finè diffolutione, gravitatem finè tar-  
 ditate, alacritatem finè inquietudine, maturita-  
 tem finè protervia, feveritatem finè turbulen-  
 tia. Deinde *Senfus* circumfpiciebat, & in fta-  
 tione oculorum requirebat, an mors per fene-  
 ftras,

stras, si non ipsa intrâisset, saltèm de suis femi-  
 bus aliquid iniecisset, per aspectus creaturarum  
 humanarumque sive naturalium, sive artificia-  
 tarum formarum, aut lectiones rerum inani-  
 um aut etiam noxiarum. Ad aures spinis ali-  
 oqui septas observabat, utrum obscœnitates,  
 nugæ, joci, scurrilitates, rumores seculares, de-  
 tractiones, murmurationes, adulationes, blandi-  
 tiæ, viam aliquam ad eas per septa invenissent.  
 Circa *odoratum & gustum*, usum odoramento-  
 rum & delectum, pretia & condituras alimen-  
 torum explorabat.

Circa *tactum*, sensuum periculofissimum,  
 perniciosissimè blandientem, sensusque reliquos  
 ad voluptatum illecebras pellicientem, quàm  
 immaculatus, continens & ordinatus fuerit, di-  
 gnoscebat. Tum ad *oris* custodiam accedens,  
 quomodo *lingua* frenis esset coërcita, notabat,  
 & an aliquando ijs ruptis tanquam indomita fe-  
 ra, ad mendacia, convitia, rixas, clamores, ma-  
 ledicta, detractiones, murmurationes, jactan-  
 tiã, scurrilitates, vanitates, inurbanitates evo-  
 lâisset, aut cum loqui oportebat, & deteri-  
 ùs loquelâ silentium continuâisset, observa-  
 bat.

Magis autem ad interiora penetrans, *ima-  
 ginationem, memoriam, intelligentiam* sedulò per-  
 lustra-

lustrabat: Utrum hæc ignorantiam vetitam fovisset, pertinaciâ & contumaciâ obriguisset; inconsiderationi & temeritati in agendo se permisisset, mutabilitate & inconstantia ventilari se sivillet; Judicem se aliorum malè usurpato Jure DEI fecisset. Utrum *Memoria* obliviscenda & abjicienda, perperam conservavit, & ab animo quàm longissimè repellendis stationem intra se indullerit. Utrum *Imaginatio* noxia phantasmata excusserit, otiosis non adhæserit, necessariis moderatè tolerandis fuerit occupata. In *Appetitum* autem severiùs inquirebat, examinans strictè, quidnam amasset, odissetve? quid concupivisset, averfatúsque fuisset? quid gaudiorum habuisset, dolorúmve? an quâ interiùs incaluisset iracundiâ! vel exarsisset exterius? quo eum impulerit audacia, quóve vel unde retraxerit timor? quid denique sperasset ardentùs, desperassetve obstinatiùs? Si quos autem in privata hac putatione excessus deprehendisset, eos tanquam noxia sarmenta detestatione præcidebat, & in unum fascem collecta, lacrymis poenitentiaë macerabat, ac demum, cum magna sui despicientia ad aram Zeli, DEO cremanda offerebat.

Et quia non tantùm prohibere conceptus malorum seminum, sed etiam bona implanta-  
ta radicare, sempérque crescere, ab exordio Ty-  
H 3
rociniij

rocinij statuerat: ideo in suis examinibus ac reflexionibus, cum usura pensum profectûs sui, quoad omnes virtutes exigebat, omniumque detrimenta per omissiones parta refarcire, aulterus in se censor allaborabat. Neque gloriari de victoria ex vitio parta, sed indignari de minoribus trophæis, quos gloriosius è virtutum manipulis reportare potuisset. Utque se avarus in acervandis gratijs usurarius, ad majora lucra stimulare, tabellas quaspiam ad principia lucri methodicè cognoscenda excogitavit: Quot scilicet audire sacrificia soleret per annum, quot orationes mentales, examina conscientia; orationes vocales, lectiones, auscultationes doctrinae, manuales operas, refectiones, mortificationes; & cum notaret sola hæc semel aut bis per diem facta, conficere annuè supra septuaginta tria millia; posseque in iisdem plures actus fieri; atque ità ex solis ordinarijs actionibus ac pensis, centena millia meritorum & lucrorum excrescere: exarsit denuo in creberrimam actuum frequentationem, viditque se juxta duo sua Principia superius dicta, *Observantiam* nimirum in exercitio virtutum, & *Regulis* accuratam, atque *Negligentia* fugam, ad millones meritorum anni spatio venire posse. Quod fanè quoad vixit, ità cupidè acervavit, ut diem sibi sufficere nollet, sed in lucra majora exardescens,

scens, noctem potiore affumeret. Cùm enim cibi admodum parci esset, & sexaginta circiter annis, à prima scilicet infantia, usque ad senium jejunaret potiùs strictissimè, quàm cibo corpus reficeret, tenui valdè somno usus fuit, vigiliàsque noctis longiores varijs affectibus exegit, quod R. P. Joannes Mehrer, discipulus in spiritu Stredonij, aliorum deinde in sanctitatis progressu Magister, exemplo & verbo eximius, sæpè laneo passu cubiculi statum observans, mutatis horis animadvertit.

Ad nocturnam porrò quietem abiturus, sub hæc prima Religiosæ vitæ initia, tripliciter timore juveniliter, ac finè rationabili causa percellabatur. tenebrarum videlicet, spectrorum ac Dæmonis, quæ tamen omnia paulò post detimuit, indagans more suo principia & obviations. Tenebræ inquiebat, cùm aliud non sint, quàm privatio lucis & rei nihil, cur timeantur? spectra autem nocturna, cùm vel mera figmenta imaginaria sint, vel si eis aliquid veri subsit, rarissimè eveniant, & tunc à bonis spiritibus producta nil noceant; à malis verò excitata, facillimè orationibus, Sanctorum reliquijs, crucis & rerum consecratarum usu dispelli possint: etiam non habent justam causam timendi, ut neque Dæmon ipse; qui licet, ut leo rugiens circumeat & quærat quem devoret: quia

quia tamen devorandum neminem invenit, nisi eum qui se ipsi voluntariè apponit, rationabiliter timeri ab ijs non potest, qui se ejus unguibus & dentibus non offerunt laniandos. minimè autem ab ijs, qui habitant in adjutorio Altissimi, & in protectione DEI cœli commorantur. Quidquod ipse fassus sit Cypriano Justinam incantationibus oppugnanti, nullam suam artem proficere adversus eos, qui verè Christum colunt. Et ad exagitandum D. Ambrosium ab Ariana impietate conductus, re infectâ redierit, clamans impenetrabili muro igneo vallatum esse Ambrosium, ob cujus ardores nè appropinquare se illi quidem, multò minùs ad eum penetrare potuisse. Accedunt hïc etiam potentissima invocatorum ante noctes OO. SS. suffragia, per quæ lectulus singularis cujusque religiosi fit securior, quàm fuerit aliquando thalamus Salomonis à 60. fortissimis ex Israël armatis bellatoribus custoditus. Neque deest MARIA Mater gratiæ, Mater Misericordiæ, cum sua potenti & invincibili protectione. Neque S. Angelus Tutelaris solos aut incustoditos clientes derelinquit, qui cùm infomnis à natura sit, non dormitabit, neque dormiet, in nostra custodia. cùm verò idem sit fortissimus, non permittet sopitis nobis injuriæ aliquid inferri, aut violentiæ.

His

His Martinus ad securitatem & magnam fiduciam adductus, proponebat velle se in adjutorio Altissimi collocatum conquiescere, & in protectione Virginis Beatæ perdurare, Sanctorum item Suffragijs pro munimento uti. Potissimè tamen pio amore erga S. Angelum Tutelarem inflammatus cœpit cogitare, quomodo ejus custodiæ constans experimentum possit obtinere. id verò agendo, & in acta Sanctorum Angelorum ubique inquirendo, cùm in eventum quendam admirandum incidisset, in quo significabatur Joannem Carreram de Societate

*Orland.  
part: 1.  
hist: Soc:*

Juvenem eò usque in familiaritatem ab Angelo suo Tutelari fuisse admissum, ut cum eo velut intimo Amico sua consilia conferret, sæpe ad eum de rebus suis dubijs referret, sæpissimè auxilia illius & postularet & impetraret; & insuper quotidie ab eo horis antelucanis excitaretur à somno: tum verò ingentibus desiderijs æstuarè, ad beatam sortem anhelare, suspirijs & lacrymis eam advocare. Castissimus, inquit, ille erat; talem & ego me præstare contendam. Et quia similitudo est mater amoris, hoc etiam addam, & quantum licebit mortali ad similitudinem Angelorum, amoris in Sancto meo Custode erga me, excitatricem, in me exprimendam aspirabo. Florentissimi illi ac elegantissimi Juvenes censentur: adlaborabo, nè me cul-



pæ macula vel ruga unquam dehonestet; & ut castissima desideria, & sancta proposita à senio semper defendant. In albis comparent candidissimi; & me innocentia, puritas, candor mentis & corporis dealbabit. Pernices volant & alati; & ego præpetibus obedientiæ pennis ad omnes DEI nutus volare non cessabo. gemmis & cruce coronantur; & meum diadema erit: AMOR MEUS JESUS Crucifixus! Auro præcinguntur ad mammillas, cavebo diligentissimè, nè discinctus diffuentes affectus per omne genus sordium traham, & curabo ut eosdem per continentiam semper coërceam. concinunt illi perpetuò laudes Divinæ Majestati; & ego ad benedictiones & laudes Divinas nunquam conticescam. Vident denique & intuentur faciem Patris, qui in cœlis est: ambulabo & ego coram eo semper, & à conspectu DEI mei non avertar.

Non ferventiùs ista proponebantur, quàm sint deinde executioni mandata: unde consecutum est imprimis, ut noctem acturus hic alter Angelus, ubi cum conscientia rediisset in gratiam, decentissimè sive in culcitra, sive in tabula, sive in nudo etiam solo decumberet suis temporibus, & nec ullos corporis motus, nec mentis affectus admitteret, quos præsentis suo Custodi existimaret non probandos. Quod si non omnino sanctæ affectiones in eo violentè excita-

ren-

rentur, protestabatur vim sibi inferri, auxiliū-  
que Tutelarī implorabat secundum testimo-  
nium, fortissimēque sanctis affectibus non san-  
ctos oppugnabat. deinde sanctā aliquā cogitatio-  
ne mentem occupabat, quæ in vigilia inchoata  
per somnum continuaretur. & exotica phan-  
tasinata excludens, immisionibus Sancti Ange-  
li & sanctioribus speciebus corpore sopito cor  
vigilans præpararet. Si somnum causā quali-  
cunque abruptisset, tanquam ad præsentem Tu-  
telarem vertebatur, & eum salutans, mentem  
coram eo ad officia revocabat, & tam diu vel  
in divinis laudibus, vel in sanctis orationibus,  
vel in pijs considerationibus ea exercebat, donec  
liceret iterum indormire.

Si somnus eum omnino deseruisset, in  
prima vigilia ad citharam Davidicam hymnos &  
cantica in silentio Domino concinebat, & corol-  
lam aliquam DEIPARÆ contexebat. In secunda  
vigilia ad librum S. Antonij, sinè usuali lampade  
legendum se conferebat, & grandes illos chara-  
cteres, Terram cum suis terricolis, maria cum  
suis incolis, aëra & sublunares ignes despiciebat;  
tum ingentes cœlorum Tabulas & eis infixas fi-  
dera cum sole & luna decurrebat, superædifica-  
tamque his cœlestem Hierusalem mirabatur.  
magnitudinem ejus stupebat, in enumerandis  
ejus exercitibus, numerorum speciebus desti-

tuebatur; felicitate & splendore Civium lætabatur; Regis verò ac Domini univerforum Majestatem venerabatur, textui dulcissimas Augustini & mellifluas Bernardi glossas intermiscens, & jam cum Francisco repetens: *DEUS meus & omnia*; jam cum Ignatio ingemiscens: *Quàm sordet terra, cùm cælum aspicio!*

In tertia vigilia Crucifixum humilitatis & charitatis brachijs amplexatus, per eum quo nos dilexit, (cùm in sanguine suo lavit,) amorem, obtestabatur, ut venturus Judex præteritæ suæ vitæ culpas omnes ante obitum misericorditer condonaret, & ad offensas Patris deinceps per tempus vitæ duraturæ evitandas, gratiam efficacem copiosè largiatur. Addebat deinde sacris vulneribus pia oscula, & pijs illis Rhythmis, qui Divo Bernardo adscribuntur & initium habent: *Salve mundi salutare*, eadem & reliqua membra Domini salutabat; septem Stationes Passionis, septem Sanguinis effusiones, septem verba in cruce prolata recolebat, & adorationibus à Divo Gregorio ordinatis quæ inchoantur à vulgata illa oratione: *O Domine JESU Christe adoro te in cruce pendentem*, complebat pietatem; si quid verò temporis huic devotioni superfuisset, id ordinandis actionibus vel deinde officijs sequentis diei, & mox secururæ publicæ ad operandum excitationi tribuebat.